

quare adhuc de tuorum segnitia tristes sumus? Obsecramus te, per misericordiam DEI, ut, ipso adjuvante, auferas istum mœrorem de cordibus nostris. Neque enim credendum est, auctoritatem tuam ad perversitatem tuorum plurimum valere potuisse, & ad correctionem nihil valere posse. An fortè contemnunt te, quia in Ecclesiæ catholicæ participationem hac ætate venisti; cum te amplius debeant admirari atque venerari, quia vetustissimum errorem senili quadam juventute vicisti? Absit, ut nolint tecum recta sentire, cum quo eos delectavit errare! Tu tantum ora pro eis, & insta eis. Imò verò adduc eos ad domum DEI tecum, qui in domo tua sunt tecum: vel te non pigeat in domum DEI cum illis venire, qui in domum tuam soliti fuerant convenire; præsertim cum catholica mater aliquos à te petit, aliquos repetit. Petit eos, quos apud te invenit: repetit eos, quos per te perdidit. Nō excrucietur damnis; sed potius lætetur lucris. Acquirat filios, quos non habuit; non plangat, quos habuit. Oramus ad DEUM, ut facias, quod hortamur, & speramus de misericordia ejus, quòd literis sancti fratris & coëpiscopi nostri, Peregrini, & rescriptis Dilectionis tuæ, citò de hac re gaudio explebitur cor nostrum, & lingua nostra exultatione.

## EPIST. LXVII.

Augustinus Alipio, seni, de Gabiniano miraculis converso ad Christianismum.

322.

*Meminit  
Postea in  
Ind.*

*Augustinus Alipio seni.*

**F**RATER Paulus hic est incolumis, apportat negotiorum suorum secundas curas: præstabit Dominus, ut etiam ipsæ ultimæ sint: multum vos salutat, & narrat gaudia de Gabiniano, quòd ab illa sua causa misericordiâ DEI liberatus, non solum Christianus, sed etiam fidelis sit valde bonus, per Pascha proximè baptizatus, in corde atque in ore habens gratiam, quam percepit. Quantum eum desiderem, quando explicabo? Sed nôsti, ut eum diligam. Architheater etiam Dioscorus Christianus fidelis est simul gratiam consecutus. Audi etiam, quemadmodum: neque enim cervicula illa vel lingua, nisi aliquo prodigio, domarentur! Filia ejus, in qua unica acquiescebat, ægrotabat, & usque ad totam desperationem salutis temporalis, eodem ipso patre renunciante, pervenit. Dicitur ergo [ & constat, cum mihi hoc, & ante fratris Pauli reditum, Comes Peregrinus, vir laudabilis & bene Christianus, qui cum eis eodem tempore baptizatus est, indicârit: Dicitur ergo ] ille senex tandem conversus ad implorandam Christi misericordiam, voto se obligasse, Christianum fore, si illam salvam videret. Factum est. At ille, quod voverat, dissimulabat exolvere. Sed adhuc manus excelsa! Nam repenti-